Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1151
Quelle:
Copyright:

quuntur, Cod. *ſive his que ſubſequentur*, Ed. *conſideratio tractatio quae*, Cod. *conſideratio tractatioque*. Cap. 3. Ed. *ut eſſet totius*, Cod. *ut etiam totius* &c. Illud omittere non debeo, praetexta eſſe Codici Folia duo, quibus de Vocum et Rerum Significationibus tractatur totidem Articulis, quorum prior infit: *Diligens ſcrutator ſacri eloquii* &c. alter: *Diſcerne et conſidera diligenter* &c. uterque plane e mente *Hugonis*, quin et eadem phraſi, qua is *Excerptor. Prior.* L. II. c. 5. edit. *cit.* T. II. p. 342. utitur. Videbit igitur Operum *Hugonis* ſtudioſior, quo illi Articuli pertineant, et an inter *Ανεκδοτα* ſint cenſendi. Ceterum alia integri hujus Operis Exemplaria jam dabo.

CCCCLXIV.

U. 622 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 166. f. per duas columnas ſcriptus, rubro diſtinctus, et teſtamento *Thomae* noſtri *Haſelbachii* olim addictus Collegio B. V. M. *domus rubee roſe aput fratres predicatores in Wyenna* continet *Hugonis de S. Victore* Can. Reg. Opus in II. *Libros* diſtinctum *de Sacramentis*, quo vocabulo non hic Sacramenta veniunt Eccleſiae, ſed arcana Dei in creando et reparando Homine Conſilia. Prooemium incipit: *Librum de ſacramentis criſtianae fidei ſtudio quorundam ſcribere compulſus* &c. Sequitur *Librorum*, *Partium* et *Capitum* Conſpectus, ut in Edit. *Rothomag. Opp. omn.* T. III. 1648. p. 482. f. demum Opus ipſum, cujus Textus ob lectionis varietatem non negligendus foret, ſi quis *Hugonis κριτικοτερως* et ordinatius edendi conſilium olim ſuſciperet. De hoc Populari noſtro e *Blankenburgiorum* Stirpe a. 1097. progenito haec ad calcem adduntur. *Hugo de ſancto Victore Pariſius claruit, qui de contemplacione et moribus multa ſcripſit. Huic in extremis laboranti hoſtiam non conſecratam Monachi propter vomitus periculum attulerunt ſacram eukariſtiam ſimulantes, quod Hugo per ſpiritum intelligens exclamauit: Cur me fallere fratres voluiſtis? Iſte non eſt Dominus meus ihesus chriſtus. Qui territi corpus chriſti attulerunt. Sed Hugo propter vomitum communicare non audens ſic orabat: Aſcendat filius ad patrem, et cum eo ſpiritus meus ad eum, qui dedit illum. Quo dicto Eukariſtia diſparuit, et Hugo feliciter expirauit. Idem Hugo vixit ſub Imperatore Henrico quarto, qui obijt Milleſimo centeſimo vigeſimo quinto.* Alii volunt 1140. Ad Codicis calcem praeter alia quaedam Notata fuſior adſcripta eſt Quaeſtio: *Vtrum per lapſum in nouum peccatum mortale omnia peccata prius commiſſa* (remiſſa) *in contricione reddantur.*

CCCCLXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. R. 2297 Folior. 191. f. per duas columnas commode perſcriptus et minio diſtinctus aliud eſt ejusdem Operis Exemplum integrum, cui

prae